Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput XII.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

Vivus in calce sepelitur
Cap. XII.

Lusitanorum sensus in morte Xaverij

Ubi Francisci mortem fama vulgavit (quippe febris perniciosior quam Sinensis omnes praeter ipsum sustulerat) Lusitani pene omnes, qui reliqui erant in insula, tam tristi nuncio exanimati, confestim ad eius velut ad communis parentis funus convolant. Ac primo gemitibus ac lamentis tota circa tugurium personabat area: deinde triste silentium consecutum est ad contemplandum Xaverium dolore conversi. Caeterum eius corpus, imaginem animi, effigiem caelestis felicitatis intuentes, fletum integrabant; iucundissimoque aspectu neque animos, neque oculos satiare poterant. Corpore Franciscus fuit satis amplo robustoque ac figura, statura procera, iustam haud sane multum excedente, colore candido, facie honesta ac liberali, vultu hilari quidem, sed vivido et ardenti, caeruleis vegetisque oculis, naso modico, barba et capillo natura nigro, sed iam aetate, aut curis potius caro. Vestitu tenui vulgarique sed mundo Tunica talari, ut supra diximus, induebatur (Indorum ritu Sacerdotum) distincta, ut toga etiam vicem haberet. Itaque subibat spectantium animos eximia illius, comitas benignitasque in omnes singularis: magnitudo animi periculis ac difficultatibus invicta: mortis, cuius caeteri nomen horrent, perpetua contemptio: Divinae gloriae ac religionis proferendae infinita cupido. Submissio magnitudini animi par: pietas ac sanctitas prorsus egregia. Igitur illas

Francisci forma ac figura.

suavitatem

suavitatem morum, illud exemplum fortitudinis
illud aegrorum auxilium sibi ereptum, talem prae
conem religioni, tantum praesidium ademptum
esse rebus humanis, novum sydus, quod perpe
tua pene Indorum nocti illuxisset, quod Evange
lij lucem caliganti attulisset Orienti, subito oc
cidisse querebantur. Quem propagaturum in
ultimas terras religionem, Quem aegris Lusita
norum corporibus atque animis saluti fore;
Quem in Francisci locum successurum; Interea
dum Lusitani grabato circumfusi iucundissima
Francisci specie memoriaque oculos et animos
pascunt suos, tantaque jacturam, lacrymarum
pleni, suique iam immemores, lamentantur;
Antonius interpres, qui Francisco aegrotanti
ac morienti praesto fuerat, accurrit ad navim.
Sacerdotalem Francisci habitum (ibi enim asser
vabatur) petiturus. Lusitanis qui erant in
navi, Xaverij obitu nunciato, obortis lacry
mis crebros ediderunt gemitus, non praesenti
suo tantum, sed futuro quoque Pereriae do
mini sui absentis dolore perculsi. His igitur
comitatus interpres, non sine fletu domum re
vertitur. Francisci deinde corpus sacerdotali ve
stitu rite indutum de sententia Lusitanorum
ligneo loculo (ut Sinarum mos est) includere
statuit. Quod quidem divino potius quam humano
consilio factum ostendit eventus; ut ea scilicet, quae
sancto corpori divinitus contigerunt, essent homi
nibus notiora. Corpus igitur arca lignea inclusum,
postero die multis prosequentibus effertur: et
funere, quantis maximis in illa rerum inopia
studijs potuit, celebrato, in ipso portus littore
rite

Sacerdotali vestitu sepelitur.

ritè mandatur sepulturae. Iam terras erant in
jecturi, cum repentè, divino utique instinctu pla
cuit, ad carnem exedendam, vivam corpori calcē
adhiberi; ut nuda deinde ossa in Indiam de Tumulo viva calx inditur.
ferrentur. Itaque aperto tumulo magna vi
calcis inditur, quae citius consumeret carnem; tum
arca diligenter occlusa ibidem humatur. Tumulo
grandes lapides sepulchri indices impositi;
ut si quis e Societate id quaereret, illis indiciis
admonitus nullo negotio reperiret. Discessum
est à funere multis cum lacrymis, incredibili
cum moerore ac desiderio talis ac tanti viri.

Corpus integrum repertum Malacae
denuo humatur.

Cap. XIII.

Vere deinde primo, cum adesset tempus, quo
tempore navis, quae Franciscum advexerat
Malacam solveret, Sina interpres, quem dixi
mus, sive Xaverij caritate, sive divina magis
ni stimulante, nauarchum adit & ingemiscens
Itane vero, inquit, Franciscum Xaverium, qui
nobiscum unà inde usque ab India huc venit,
hîc in deserta Sinarum insula apud barbaros
relinquemus projectum! At qualem virum! nempe cu
ius egregiam vitae ac mortis sanctitatem nos ipsi
perspeximus, posteritas omnis intuebitur. Quin
potius sacrum eius corpus deferimus in Indiam, ut
ibi potius sit, ubi colatur; quam hic, ubi contem
nitur. Tum ille: Ego verò libenter meum in
Indiam eius asportarem reliquias, si, consumptâ
carne ossa deferenda forent. Proinde rem extem
plò per certum hominem exploraturo. Quod si spes
responderit voto; enimverò facturus sum quod
rogas, non tua magis causa quam meâ. Ligo
enim